

**1959-05-02 – SS Ioannes XXIII – Littera ‘Mariani Cultus’**

LITTERAE APOSTOLICAE  
 « *MARIANI CULTUS* »\*  
 BASILICAES MINORIS TITULO  
 AC DIGNITATE DECORATUR ECCLESIA  
 B. MARIAE V. « DEL QUINCHE »  
 IN PAGO VULGO APPELLATO « DEL QUINCHE »,  
 ARCHIDIOECESIS QUITENSIS.  
**IOANNES PP. XXIII**  
 AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

Mariani cultus sedes eximia esse perhibetur templum, quod in pago « Del Quinche », uti appellant, intra Quitensis archidioecesis fines est positum. Quae caelestis Reginae aula a satis antiqua repetitur aetate, cum anno MDCIV exstrui coepit; terrae autem motu ac fremitu bis quassa ac disiecta, alacri cum pietate bis refecta, restituta fuit et magnificentia aucta. Habent ibi admirationem et ipsa molis amplitudo et opera artificiosa, veluti imagines pictae, quibus miracula, Beatae Mariae Virginis « Del Quinche » deprecatione patrata, expressa sunt, et ara maxima, cedrinis ornamentis laminisque aureis insignis. Quod autem summi momenti est, religio ibi colitur impense, cum et Christifideles eo frequentes accendant, Dei Genetricem in vota vocaturi, ac sufficietes numero adsint sacerdotes aliqui clericorum Congregatione Oblatorum Sanctissimorum Cordium Iesu et Mariae, cui templum concredimus est. Qui pietatis ardor praesertim excitatur praeclerara imagine eiusdem Deiparae Virginis, quae, auctoritate Petriani Canonicorum Collegii, anno MDCCCCXXXIII aureo diademate est redimita. Sacris denique vestibus magni pretii et supellectile divinis ritibus apta ecclesia est affatim instructa. Quae omnia reputans cum animo, Dilectus Filius Noster Carolus Maria Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyter Cardinalis de la Torre, Quitensis Archiepiscopus, preces ad Nos admovit, ut Sacram hanc aedem Basilicae Minoris nomine ac iure donaremus. Quae vota libenti animo implentes, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum ecclesiam Deo in honorem Beatae Mariae Virginis « Del Quinche » nuncupatae, in pago, qui, « Del Quinche » vulgo appellatus, Quitensis archidioecesis finibus continetur, consecratam, titulo ac dignitate *Basilicae Minoris* afficimus ac decoramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis, quae templis eodem nomine insignibus rite competit. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum pienissime suffragaci; sicque rite iudicandum esse ac definiendum ; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

*Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die II mensis Maii, anno MDCCCCLVIII, Pontificatus Nostri primo.*

**D. Card. TARDINI**  
*a publicis Ecclesiae negotiis*

---

\* AAS vol. LI, 1959, pp. 694-695.